



012

010

016

006

021

001

061

111

511

De termino deserti et initio terrae Aegypti et de ingressu
peregrinorum in Aegyptum, de Matarea et Busiri, villa
prima Aegypti, et de consolatione nostra in hoc loco.

Sexto die, transacta media nocte, a Maffrach recessimus, euntes per arentes arenas. Porro, in ipso crepusculo incidit nebula spissa cum frigidissimo vento, in quo sensimus nos in aliud clima venisse. Post solis ortum repulsa est nebula et venimus ad alta sabulosa montana mobilia, noviter illuc per ventum adjecta, et circumdati sumus arena et, si habuissemus ibi tempestatem et ventum contrarium, coacti fuissetus redire in desertum, sicut persaepe ibi contingere solet, ut dictum est. Est enim in loco illo arena mobilis et fluida, sicut est ipsum mare arenarum. Arena in illo loco videbatur mineralis, quia plena erat aureis arenulis. Pertransivimus autem loca illa arenosa cum tranquillitate, postergatis autem montibus istis iterum in latissimum sterilem campum devenimus, per quem repente processimus, finem ejus praestolantes. Ecce autem, procedentibus nobis in alto campo vidimus longe infra nos ex opposito in regionem alterius naturae, alterius dispositionis et formae, ad quam ista sterilis et vastissima finitur solitudo. Vidi- mus enim partem terrae Aegypti, terrae habitabilis, in qua vidimus terrae nascentia diversorum generum et aquarum flumina, civitates et villagia. Aspectus autem ille gaudium pariter et stuporem nobis incussit. Gaudium quidem, quia vidimus finem horribilis deserti et hominum habitationes et aquarum copiam et alia multa, quarum carentia nobis fuerat gravis per erenum. Stuporem autem, quia